



Conradus ex nobili familia à Rabenspurg natus fuit. Is ab ineunte ætate literis operam dedit, atq; multa eruditione clarus extitit. Itaq; Henricus 6 Cæsar eum suum cancellarium elegit, atque res maximas ei expediendas commisit. Eam functionem cum per aliquot annos magna dexteritate administrasset, Hildesheimensis ecclesiæ episcopus electus est. Verùm cum uix uno anno ibi præfuisset, ob plurimas eius uirtutes post Gotfridum defunctum, Herbipolensis quoq; antistes declaratus est. Itaq; priori episcopatu resignato, hunc suscepit, & magna diligētia gubernauit. Cum aut eo tempore Sarraceni Christianos in Asia affligerēt,

Germaniæ principes magnam expeditionem anno 1199 in Syriam susceperūt, inter quos etiam Conradus ille extitit. In eo loco pius præsul magnam diligentiam adhibuit, ut Christiani ab impijs tuti essent, atq; ideo author fuit ut Theutonici ordo apud eos institueretur, qui postea magna gloria sua arma cōtra impios circumtulit. Cum autem principes Cæsaris Henrici mortem percipissent, rebus in Syria ordinatis domum reuersi sunt.